



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani,
Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis,
Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non
Problematicæ Disquisitiones ... Volumen ...**

Virtvtes Theologicæ. Libro Triplici Fidei, Spei, & Charitatis materias expono

**Escobar y Mendoza, Antonio de
Lugduni, 1663**

Caput 22. Circa Hæresim, & Apostasiam à Fide.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80695](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80695)

CAPVT XXII.

Circa Hæresim, & Apostasiam à Fide.

DVBIVM LXXVI.

Vi. propositio Hæretica sit, sufficitne esse ex diametro oppositam propositioni Fide credenda, si accedat in proferente illam pertinaciam?

³⁷⁹ *Non sufficit*
MINIME sufficit. Quia contradicere quis potest fidei obiecto ignoranter, quia ignorantia posita, Hæreticus non est. Ergo non sufficit propositionem esse oppositam propositioni fidei credendam, nisi addit in proferente contumacia. Sic Caiet. 2. 2. *question. 11. articulo 1.* Bannes ibi, articulo secundo.

³⁸⁰ *Sufficit plane.*
Sufficit planè. Quia materia, & obiectum hæresis est, quod obiecto fidei immediatè repugnat. Nam cum D. Thomas communiter receptus 2. 2. *question. 11. articulo secundo* dixerit, *hæresim esse, quæ fidem corrumpit*, in fertur sanè, obiectum hæresis obiectum fidei corrumpere, illique esse contrarium. Ex quo fit quamlibet propositionem ex diametro oppositam propositioni fidei divina credendam, hæresim esse: (ad sit, vel non addit in proferente pertinacia) quia est propositio destruens obiectum fidei, & fidem corrumpit. Ita ex D. Tho. Castro Palao tr. 4. de fide. d. 3. *p. 1. num. 2.*

³⁸¹ *Amicissimo huic adhæreo Doctori, iudicans primæ sententiæ.*
Auctores in æquiuoco laborare. Aliud enim est loqui de propositione Hæretica formali, aliud de obiectiva, ac materiali. Fateor enim, ad propositionem hæreticam formalem pertinaciam requiri: at ad propositionem Hæreticam obiectivam, seu ad obiectum hæresis pertinaciam non requiritur, quia hoc obiectum in sola contradictione cum obiecto fidei consistit.

DVBIVM LXXVII.

An cum ignorantia vincibili, & crassa, vel affectata stet Hæresis peccatum?

³⁸² *Recolo hæresis definitionem.*
REcolo hæresis definitionem. Est error voluntarius & pertinax contra doctrinam & veritatē in fidei Christiana. Est voluntarius, quia sine voluntate non est peccatum: est pertinax, quia propriæ adhæret opinioni, videns Ecclesiæ doctrinam aduersari, nec paratus est corrigi. Quæserim ergo nūm cum ignorantia vincibili, & crassa, seu affectata stet hæreseos peccatum?

³⁸³ *Stat quidem.*
Stat quidem. Quia hæc ignorantia in fur-

ro, homicidio, & aliis delictis non excusat à crimine. Ergo neque in hæresi. Et quia qui vincibiliter, & culpabiliter ignorat, peccat contra fidem. Ergo vel Paganismo, vel Iudaismo, vel hæresi non enim sunt aliæ infidelitatis species. Sic Sotus in 4. *dist. 22. questione secunda articulo tertio post 5. concl. casu 1.* Lopez part. 2. *Instr. capit. 20. titul. de excommunication. reseru. in Bul. cæna, casu primo* Lorca 2. 2. *question. 11. dub. 41. numer. 15.*

³⁸⁴ *Non stat, sed qualibet ignorantia etiam affectata, quæ causa sit erroris à peccato hæresis excusat.*
Non stat peccatum. Quia impossibile est, quem voluntarie contradicere Ecclesiæ auctoritati, in quo pertinacia consistit, nisi cognoscat Ecclesiam contrariam sibi esse, ut multis probat allegatis Farinac. de hæresi, *ques. 179. §. 1. numer. 1.* Sed cum ignorantia affectata, quæ causa sit erroris, non stat hæc cognitio: Ergo non stat pertinacia, nec hæresis peccatum. Ita Azor. 10. 1. 1. 14. 9. 9. Farinac. citat. n. 29. & 30. Suar de fide, d. 9. *sect. 3. n. 8. & 9.* Coninch de fide *disp. 18. dub. 7. concl. 4. & 5.* Arag. 2. 2. *q. 11. a. 1.* Castro Palao de fide, *r. 4. d. 3. p. 1. n. 3.*

³⁸⁵ *Probabilius hoc puto.*
Nam si quis voluntatem habeat mutandi sententiam propriam, quoties viderit Ecclesiæ definitionem eam contradicere, nullo modo potest dici in suo errore pertinax: siquidem paratus est corrigi: sed cum ignorantia affectata potest esse voluntas: Ergo. Probo minorem: quia affectate potest nescire quod docet Ecclesia, ne cogatur aliud sentire. En affectat ignorantiam, quæ tamen non obstat, sed potius includit voluntatem obediendi Ecclesiæ, cum ei clarè fuerit propositum.

DVBIVM LXXVIII.

Errat quis ex ignorantia affectata, sed monitus ab Episcopo, vel Inquisitore, vel alijs viris Doctis de suo errore, adhuc in illo perseverat, credens non esse contra Ecclesiæ definitionem: Hic estne verè hæreticus?

³⁸⁶ *Verè hæreticus nō est.*
Quia sola Ecclesia est regula veritatis. Episcopi vero inquisitores, & quicvis viri docti falli, ac fallere possunt: Ergo discredens illis, & credens Ecclesiæ, hæreticus non est: quia cum Ecclesia non pugnat. Sic Sanchez libr. 2. *Decal. capit. 7. num. 26.*

³⁸⁷ *Est verè hæreticus.*
Quia satis pertinax ostenditur, qui suo cerebro ductus contemnit Ecclesiæ auctoritatem per ipsius Magistros declaratam. Illa enim declaratio solennis, & publica, qua testantur homines ita gravissimi, quod mysteriū id receptū sit ab Ecclesia: Ergo si euidentiā habeat, quod sit euidenter credibile, quidquid ab Ecclesia Romana proponitur, & discredet mysterio sic proposito: verè, & in rigore Ecclesiæ auctoritati contradicit. Alias nullus esset celsus hæreticus, quia nullus est, qui verè Ecclesiæ, & à Christo institutæ credere nō intēdat: sed quia huic intentioni contradicere

cenfetur, cum negat, quæ illi proponuntur esse verè recepta ab Ecclesia Romana, ideo hæreticus indicatur. Ita Suar. *de fide*, d. 16. *sect. 3. n. 21.* & plures relati à Sancio *vbi sup.*

388

*P. obati-
re admodum
hanc senten-
tiam esse
defendo.*

Quibus, Sancio venia, probabilius admodum, adheret. Quia rarus est cui Ecclesia Romana immediate mysteria credenda proponat, sed proponit illa mediis Episcopis, Pastoribus: Ergo si mysteriis ab iis propositis non tenetur quis fide divina credere, nunquam credere tenetur. Profecto in foro externo iudicandus esset Hæreticus, & pertinax, qui mysteriis ab Episcopis & Inquisitoribus propositis dissentiret. Barol. *leg. Tutor §. Tutores n. ff. de suspect. tutor. Vgoli. de censur. p. 2. c. 1. §. 1. num. 1.* Pegna *Direct. p. 1. comment. 26. ad q. 12.* & alij apud ipsos. Ergo etiam in foro interiori centendus est Hæreticus. Quia illud iudicium non nititur aliqua falsa præsumptione, sed veritate, qua iudicatur, dissentientem mysteriis sic propositis, Ecclesie auctoritatem contemnere voluisse. Fateor ingenuè, neminem præter Romanum Pontificem esse regulam veritatis; sed non obinde inferitur, te non esse obligatum credere, quæ tibi viri docti proponunt. Quia non obligaris ea credere tanquam ab ipsis proposita, sed tanquam proposita ab Ecclesia mediis illis viris doctis, quos Ecclesia uti procuratores suos assumit.

DVBIVM LXXIX.

Dubium voluntarie habens de Fidei mysteriis censendus est Hæreticus.

389
*Questionis
status.*

Dixi, *Dubium voluntarie habens*: nam sæpè contra voluntatem dubitationes de fide insurgunt, quæ non destruit fidem, sed potius occasiones sunt illam augendi, signum autè moraliter euidè, se, te his motibus non cõsentire si tædio afficiaris cum insurgunt. Quocirca aptior modus resistendi iis motibus est, illis non respondere: sed potius temnere, ac pro nihilo ducere. Quare questio solum est de dubio voluntario circa mysterium fidei tibi sufficienter propositum, num dubium voluntarie habens de fidei mysteriis, censendus sit Hæreticus?

390
*Hæreticus
non est cen-
sendus.*

Censendus Hæreticus non est. Quia Hæreticus est, qui eligit, siue sequitur opinionem fidei contrariam: at qui dubius est, quam partem eligat, cuive assentiatur, dici non potest eligere opinionem fidei contrariam: Ergo non est hæreticus. Sic Canus l. 12. *de locis, c. 9. vers. controuersantur autem.* Malder. 2. 2. q. 11. art. 2. memb. 2. Sanch. l. 2. *Decal. c. 7. n. 12.* Sà v. *Hæresis, n. 1.* fauet, dum ait, *Dum quis dubitat, non est hæreticus: in dubio enim non est propriè pertinacia.* Limitat Sanch. ut intelligatur, quoties intellectus perpenfis rationibus pro vtraque parte suspendit iudicium, quia tunc formaliter dubius manet; secus verò si supra suum dubitandi actum reflecteret, & iudicaret, rem esse dubiam, aut sub opinione: nam in tali iudicio hæresim committeret.

391
*Hæreticus
censendus
est.*

Hæreticus censendus est, qui de rebus fidei sufficienter propositis sibi, voluntarie dubitat. Quia tunc deliberat, ac peccaminose dubitat

de rebus fidei, cum iudicat res fidei non esse dignas certo, ac infallibiliter credi; sed iudicare deliberat res fidei illi sufficienter propositas non esse dignas certo & infallibiliter credi, est hæresis manifesta: Ergo qui deliberat, seu voluntarie dubitat de rebus fidei hæresim committit. Sola maior propositio indiget probatione. Pono, tibi representari obiectum fidei, & rationes, quæ ad eius assensum sufficienter movent, tempore, quo non obligaris fidei actum elicere; absque vlla culpa potes actum suspendere: Ergo suspendere actum fidei non est de fide dubitare: Ergo ad dubitationem peccaminosam, & voluntariam aliquid amplius requiritur. Sed hoc esse non potest nisi iudicium, quo iudicas, obiectum illud sic tibi representatum non esse dignum certo credi: sed esse dubium, & incertum: neque enim apdaret, in quo possit consistere: Ergo. Ita plures à Sancio relati Suar. *de fide*, d. 19. *sect. 4. numer. 10.* Coninch *de fide*, d. 18. *dub. 7. concl. 6. n. 101.* Bonac. d. 2. *de cens. question. 5. punct. 1. numer. 1.* Farinac. *de hæres. question. 178. §. 4. num. 90.* Barbola *de potest. Episc. alleg. 40. numer. 16.*

Tenendam esse hanc communem sententiam iudico. Quæ quidem decidit *cap. 1. de hæres. ibi: Dubius in fide, infidelis est.* Neque intelligi potest de infidelitate negatiua; quia hæc solum est in eo, qui fidem non recipit: qui autem baptizatus est, infidelitatem negatiuam habere non potest, sed positiuam; quia non potest amitti fides, nisi per actum fidei contrariū.

DVBIVM LXXX.

Dissentiens specialiter revelationi ei sufficienter ad credendum proposita, estne Hæreticus?

Hæreticus non est. Quia sic dissentiens, non est Ecclesie Catholice contumax, siquidem ipsa Ecclesia talem reuelationem credendam non apponit. Ergo non est Hæreticus: Ergo neque punibilis. Sic Lorca 2. 2. q. 11. d. 39. n. 2. & 4.

Est Hæreticus. Quia tota Hæresis malitia sita est in contemptu primæ veritatis sufficienter propositæ: qui enim sic discredidit, quod prima veritas dicit, mendacem Deum facit: At qui discredidit reuelationi speciali, eodem modo primam veritatem contemnit, & Deum efficit mendacem: quia Deus idem est siue publice, siue particulariter reuelans: Ergo est Hæreticus. Ita Azor. *re. 1. l. 8. c. 9. q. 4.* Sanch. l. 2. *Decal. c. 7. num. 32.* alios citans. Coninch *de fide*, d. 18. *dub. 7. n. 118.* Suar. *de fide*, d. 19. *sect. 5. n. 11.* & alij.

Idem assero. Neque enim hæresis necessario petit contumaciam aduersus Ecclesiam formaliter, sed aduersus Deum reuelantem.

DVBIVM

DVBIVM LXXXI.

*Hæreticus hic (de quo dubio proximo) incit-
ditne in excommunicationem,
& alias hæreticorum
pœnas?*

¹⁹⁶ *Incidit pla-* ¹⁹⁷ *Non incidit*
Necit quidem. Quia licet Ecclesia non
proponat illam veritatem credendam, at
proponit credendam summam, ac primam ve-
ritatem revelantem, cui propositioni obstitit
qui illam negat revelationem. Sic Coninch de
fide, disputatione 18. numero 120. Sanchez libro
secundo, Decalogi capite septimo, numero 32. con-
firmans id exemplo illius, qui negaret aliquid
existimans esse ab Ecclesia propositum, cum
tamen non sit qui verè hæreticus esset, & pœ-
nas incurreret.

Non incidit ob solum dissensum specialis
revelationis in excommunicationem, & in
alias pœnas. Quia videtur impossibile, talem
dissensum manifestari posse esse fidei contra-
rium: cum enim supponamus, revelationem
illam esse specialem, neque alteri cognitam
præter illam, qui illam habet quomodo aliis
constare potest, an ille revelationi dissentiat,
vel non; erat enim ad huiusmodi manifesta-
tionem necessarium, revelationem clarè co-
gnosci. Ita Azorius tom. primo, libro octavo,
capite nono, questione quarta, Palao de fide,
tractat. quart. disputatione tertia, puncto se-
cundo, numero 15. Corduba libro primo, capi-
te 17. Paragapho primo, dubio secundo, Sua-
rius de fide, disputatione 19. sectione quinta,
numero 12.

³⁹³ *Eandem* ³⁹⁴ *Non est hæ-*
Eandem Ob solum dissensum specialis revelationis: Nam
si dissensus est non solum revelationi specia-
li, sed & generali, & à tota Ecclesia propo-
sitæ: clarum est sic proferentem in pœnas iu-
ris incidere, modo dissensus sit manifestus.
Vnde qui diceret, primæ Veritati per primam
revelationem manifestatæ non esse cre-
dendam, hæreticus punibilis ab Ecclesia es-
set; quia negat propositionem à tota Ecce-
sia receptam. Idem asseruerim in casu, quo
quis negaret aliquam propositionem, putans
esse ab Ecclesia definitam, quæ tamen non
est; licet hæresim committat, (vt annotat
Sanchez numero 30.) at si manifestet, se nolle
credere, quod existimat, ab Ecclesia esse de-
finitum, pœnas non incurrat. Audi Suarium de
fide, disputatione 21. sectione secunda, numero
10. Si quis veram propositionem credat, cum
animo deliberato non credendi contrarium, et si
Ecclesia illud definit; quamvis rem creditam
exteriori proferat, si animum suum non declarat
excommunicationem non incurrat; quia nondum
hæreticus exterior existit.

DVBIVM LXXXII.

*An negans fidem verbo, vel facto tantum
interius retinens assensum: committat
hæresim ab Ecclesia punibilem?*

³⁹⁹ *Committit*
Committit equidem. Quia Ecclesia de oc-
cultâ intentione non iudicat, sed de ex-

teriori. Sic Caietanus 2.2. question. 11. artic. 1. se-
cundæ sententia.

Non committit hæresim. Quia hæresis est
peccatum fidei oppositum: fides autem in vo-
luntario consistit assensu intellectus diuinæ re-
velationi: ergo hæresis debet necessario dis-
sensu illius: igitur cessante dissensu intelle-
ctus, cessat peccatum hæresis formaliter. Ita
Sanchez libro secundo, Decalogi capite septimo,
numero octavo. Lessius libro secundo, capite 43.
dubio secundo, numero 11. Suarius tom. quinto, in
tertiam partem, disputati. ne quarta, sectione se-
cunda, numero tertio, & de fide, disputatione 14.
section. v. tom. numero tertio. Palao de fide, tra-
ctat. quart. dubio tertio, puncto secundo, nu-
mero 16.

Cum his opinor. Ex sua quidem communi
sententia negante illum esse hæreticum, sit
manifeste à pœnis hæretico impositis omnino
liberari. Quia pœnæ non sunt extendendæ
ad alia delicta, præter ea, quibus sunt
impositæ.

DVBIVM LXXXIII.

*Qui propositionem Theologicam abnegat est-
ne hæreticus?*

⁴⁰² *Hæreticus*
Hæreticus est. Quia saltem mediâtè diui-
næ revelationi opponitur. Sic Valent. 1.2.
d. 1. q. 11. sum. diff. 1. Cano de locis, l. 1. c. 9.
verf. Enim vero Bonac. d. 2. de Censur. question.
5. numero 5.

Non est hæreticus. Quia stare optime po-
test, vt quis credat, quiddam à Deo revelatum
est, cum negatione alicuius propositionis
Theologicæ, eo quod sibi non videatur, recte
deduci ex principio revelato, & euidenti: vel
ex eo, quod principio euidenti, non assentiat.
Ergo negare propositionem Theologicam, hæ-
resis non est. Ita Aragon. 2.2. question. 11. artic. 1.
Sanchez l. 2. Decalogi. 7. m. 3. Suarez de fide, d. 19. sect.
ultim. num. 3.

Eiusdem sum mentis. Nam hæreticus quis
esse non potest, nisi obiecto revelato dissen-
tiat: at conclusio Theologica revelata non est:
ergo eius negatio non est hæresis. Si verò in-
quiras, in qua peccati specie debeat consistere:
Mihî probabilius apparet, per se, & formaliter
ad vitium curiositatis studiositati oppositum in
materia omnium grauissima pertinere. Quia
temere, & imprudenter, conatur ille scire con-
tra id, quod ab omnibus est receptum. Per ac-
cidens tamen ad hæresim pertinere credide-
rim, negans enim in proximum periculum la-
bendi contra fidem inducitur. Addiderim, ne-
gantem Theologicam propositionem hære-
ticum præsumi. Quia nemo præsumitur eam
negare, ex eo quod principio euidenti, & eui-
denti illationi non assentiat; sed ex eo quod
non assentiat principio supernaturali fidei.
Quapropter si in illa negatione persistit,
tanquam hæreticus negans principium reve-
larum est puniendus. Sancius lib. 2. Decalogi. ca. 8.
numero 12.